DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ANALOGIA MORBORVM INTERNORVM, EORVMQVE CVRATIONE METHODICA PER POLYCHRESTA

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HEINRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE VVESTPHALIAE, ET CETERA

SVB PRAESIDIO

HERM. FRIDER. TEICHMEYERI

PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICES P. P. O. SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVL. ET ARCHIATRI, ACAD. NATVR. CVRIOS. IMPERIAL. LEOPOLD. CAROLINAE, ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SOCII

PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI SVMME VENERANDI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA, ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME, MORE MAIORVM, CAPESSENDI PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES AVGVSTVS HALECIVS

EISENBERGA - OSTERLANDVS

AD DIEM IANVAR. M DCC XXXII.

LOCO ATQVE HORIS CONSVETIS

IENAE, EX OFFICINA MVLLERIANA.

I. N. I.

Th. I.

ANalogia mo borum eſt, quando duo, vel plures morbi ſimilitudinem inter ſe habent, a ſimili, vel una eademque cauſa formali dependentem.

Th. II.

Curatio eſt applicatio medicamentorum, vel remediorum, ad ſtatum integrum reſtituendum. Methodica curatio eſt remediorum ſecundum regulas & indicationes ad ſanitatem reſtituendam applicatio.

Th. III.

Medicamentum eſt corpus ſenſibus perceptibile, quatenus in corpus vivum ad ſtatum integrum & naturalem referendum, vim exercere poteſt. Vel medicamentum eſt corpus, ſive naturale, ſive artefactum, quod vim habet agendi in corpus noſtrum humanum, eiusque partes alterandi & mutandi in melius, ut corpus humanum vel a morbis præſervetur, vel labefactatum priſtinæ ſani-

tati reſtituatur. Hæc medicamenta dividuntur in univerſalia, polychreſta, & particularia. De polychreſtis & particularibus nullum amplius exiſtit dubium. An vero univerſalia dentur, quæſtio eſt? Plerique Medici ſtant a parte negantium, & argumenta dubitandi deſumunt 1.) a diverſitate ſubjectorum, ratione ætatis, ſexus & vitæ generis. 2.) Ex diverſitate morborum cauſarum atque ſymptomatum, ubi difficile eſt, credere, quod unum medicamentum, ſat potens ſit & adæquatum ad extinguendas cauſas tum morborum chronicorum, tum acutorum. Concedimus quidem, quod dentur analeptica univerſalia, quæ archeum, ſive vitæ principium, quod omnes motus & ſecretiones inſtituit, roborare valeat, ſed an omnia incommoda vitæ removeat ita, merito dubitandum. Exemplo nobis ſit ſenectus, quæ eſt ſtatus corruptus, & quaſi præternaturalis, in quo fibræ, una poſt alteram, duræ & rigidæ evadunt, vaſa extrema ſucceſſive obſtruuntur atque concreſcunt, adeo, ut circulus fluidorum & ſecretiones non rite amplius peragantur. Ideo ipſa ſenectus perpetua querela eſt, dum mox in hac, mox in alia parte varia incommoda tædioſa & invincibilia ſenes perſentiſcunt, nullique remedio cedentia, cui nec cedere poſſunt, quoniam ſæpe numero tota vaſorum maiorum ſubſtantia oſceſcit, uti hoc ante annum obſervavit & demonſtravit Illuſtris Dn. PRAESES publice in cadavere virili 73 annorum, cujus arteria iliaca in oſſeam ſubſtantiam revera erat permutata.

Th. IV.

Porro dividuntur medicamenta in evacuantia, alterantia, ſpecifica partium, & ſpecifica morborum. Et

quidem

quidem hæc divifio defumta eft ab ufu & effectu, quem præftant. Ratione præparationis dividuntur in Galenica & chemica. Atque hæc iterum in ordinaria & extraordinaria. Ordinaria ea funt, quæ in officinis proftant, & in pharmacopoliis, lexicis pharmacevticis & difpenfatoriis reperiuntur. Extraordinaria vero illa funt, quæ ab exercitatis Chemicis, quibus analyfis corporum innotuit, elaborantur. Ratione applicationis medicamenta dividuntur in interna & externa, five topica, quæ modo partibus externis, & certis locis corporis humani applicantur & adaptantur. Hæc externa remedia iterum in duo capita difpefcuntur: 1.) in illa, quæ per manifefta agunt principia, & quorum partes fub forma effluviorum fubtiliffimorum per poros corporis noftri ad interiora penetrare, fibras & vafa roborare, laxare, aperire, fluida ftagnantia refolvere, & in motum agere poffunt. Talia funt emplaftra omnis generis, linimenta varia fpirituofa, unguenta, olea tum deftillata, tum infufa, expreffa & cocta, facculi, ex plantis fragrantibus compofiti & calefacti, atque vel modo ficco, vel liquore quodam madefacti, item epithemata, cataplafmata, fomentationes, embrocationes, capitiluvia & pediluvia, thermæ, balnea fcoriarum, & multa alia hujus commatis. Dantur & medicamenta quæ, ut veteres loquuntur, per occultam qualitatem agunt. In hunc cenfum veniunt amuleta, in quorum numero varia reperiuntur, q æ Medico Chriftiano & rationali funt indigna, quo pertinent figilla planetarum, ex electro & membranis virgineis, variis characteribus infignita, quæ re vera remedia magica & diabolica funt. Quædam amuleta

ſuo modo ſunt permittenda, quo pertinent colchicum, crocus, magnes arſenicalis, &c. quæ vel effluvia maligna recipiunt, vel balſamica emittunt.

Th. V.

Innotuit jam novum remedium Pariſiis, A DOMINO CORDIER inventum, regio privilegio ornatum, & ſubſcriptione celeberrimorum Medicorum, Domini Dodartii, Helvetii, Geoffroy, Silvæ, Mareſchall, La Perronie, Bolduc, & aliorum, approbatum & confirmatum. De hoc remedio, ejusque effectu, varia ſtupenda enarrantur & referuntur. Hoc remedium, etiam in aula Cæſaris uſitatum, conſiſtit in certis pelliculis, externe modo applicandis, quæ vocantur, ob ſingularem effectum, *Peaux divines de Monſ. Cordier*, Wunder-Häute und Wunder-Häublein. Hoc remedium conſiſtit in pelliculis, aut certo modo præparatis, aut ſibi relictis. In quo conſiſtat præparatio, nondum innotuit. Interim de illis aſſeritur, quod per vim magneticam omne malum a corpore humano poſſit vi hujus remedii ſeparari, quod tamen valde difficile, ne dicam, impoſſibile eſſe videtur. Si præparatur hæc materia, vel per ſuffitum præparatur, vel certis liquoribus impregnatur, aut irroratur. Quocunque modo hoc fiat, ejusmodi remedium, uti tamen aſſeritur, vim ſuam integram per viginti annorum ſpatia retinere non poteſt. Nam ea, quæ præparationem abſolvunt, neceſſario eſſe debent volatilia. His pelliculis adſcribitur 1.) quod calorem naturalem reſuſcitare valeant. Reſpondemus, concedimus hoc in tantum, non vero in totum. Si enim ignis vitalis non adeſt, nulla etiam hujus amplius datur excitatio. Et ſi, ut cum veteribus loquar, calidum in-

innatum conſtanter conſervaretur, homines eſſent immortales. Quoniam vero hoc in ætate ſenili ſucceſſive imminuitur, ideo omnes functiones œconomiæ animalis ſponte pereunt. 2) His pelliculis tribuitur vis aperiendi poros. Ejusmodi effectum concedimus. Nam omnia calida alia corpora, corpori noſtro humano applicata, pariter hoc præſtant. Quæſtio ideo hic eſt, an per ita apertos poros, vi hujus pelliculæ, omnes cauſæ morbificæ, uti fertur, eliminentur. Hoc nobis impoſſibile eſſe videtur. Quoniam potentiſſima diaphoretica externa & interna hoc non ſemper ad votum efficiunt. 3.) De his pelliculis laudatur, quod vim poſſideant reſolvendi omnes humores ſtagnantes, omniaque coagula, quocunque modo nata. De tali vero effectu etiam merito dubitamus. Nam vix ac ne vix quidem reſolvere poſſunt obſtructionem meſenterii, hepatis, lienis, uteri, pulmonum, glandularum ſcirrhos, ganglia, fungos articulorum, tophos podagricos, & alia, quæ omnia tamen auctor promittit. 4.) Laudantur hæ pelliculæ tanquam remedia pulchritudinis, ſive talia, quæ nitidam pellem præſtare, & rugas vetularum auferre valeant. Talis vero effectus quoque nobis impoſſibilis eſſe videtur, quoniam omnia cosmetica, ad renovandas vetulas hactenus inventa, fruſtra fuerunt adhibita. Hinc ſoliditatem fibrarum cutis, rigiditatem & obſcuritatem cuticulæ & tunicæ mucoſæ hæ pelliculæ neque laxare, neque ſerenare in æternum valebunt. Pertinet ideo hoc remedium ad *polychreſta irrationalia*, cujus actiones in cauſas morbificas, ex particulis, illud componentibus, concipi nequeunt.

Th. VI.

Th. VI.

Converto nunc me ad verum ſcopum Diſſertationis meæ, paucis oſtenſurus analogiam morborum, eorumque ablationem per medicamenta polychreſta rationalia. Primum igitur, quod conſiderandum venit, eſt analogia, i. e. ſimilitudo morborum, ortum a cauſa una eademque, vel ſimili, ſive univerſali formali, ducens. (§. 1.) Prius vero, quam de analogia morborum, eorumque cauſis, facimus verba, de morbo, quid nimirum ſit, in genere diſquirendum judicamus, quem definiri accuratius poſſe, puto, ſi antea nobis nota ſit ſanitatis deſcriptio. Sanitas itaque illi attribuitur, qui poteſt omnes ſuas actiones rite peragere. Potentiam autem intelligimus de actu primo, non vero ſecundo. Nam ſanitate gaudens, quanquam non ſemper agit, potentia tamen agendi, a conſtitutione partium corporis naturali ortum ducente, eſt præditus. Hac itaque præmiſſa ſanitatis explanatione, luculenter, quid ſit morbus, concipi poteſt. Cum enim corpus humanum vivens aut ſanum, aut morboſum ſit, quia tertium non datur, ſed ſanitas & morbus ſibi invicem opponuntur, ergo per contrarie oppoſitum potentiæ, quod audit impotentia, morbus definiatur, neceſſe eſt. Morbus igitur eſt impotentia actiones ſuas legitimo modo perficiendi.

Th. VII.

Morbi unius generis, ſive analogi, dicuntur iſtæ impotentiæ, quæ cunabula ſua ab una eademque cauſa, ſive univerſali, & quidem immediata, ſive formali, trahunt. Quemadmodum vero conſtitutio partium naturalis corporis humani ſanitatis cauſæ occupat locum: Ita quoque

morbi

morbi ſunt a conſtitutione corporis præternaturali prognati. Quo vero eo clarius pateat conſtitutio & ſtatus corporis præternaturalis, antea illius conſtitutionem naturalem breviter ſumus conſideraturi.

Th. VIII.

Corporis igitur noſtri machina compoſita eſt ex partibus ſolidis atque fluidis. Solidæ ſunt vel ſimilares, vel diſſimilares, ſeu organicæ, quando nimirum ex multis ſimilaribus conflatæ ſunt, quæ ſimilares dici poſſunt, & debent. Organicas conſtituentes primæ & ſimpliciſſimæ ſunt partes, fibræ dictæ. Omnis fibra habet facultatem ſe contrahendi, quæ dicitur vis elaſtica. Cum igitur partes organicæ ex innumeris, vim elaſticam tenentibus, fibris ſint conſtructæ; ergo fibræ ſimul ſumtæ, i. e. partes organicæ, facultatem ſe contrahendi & relaxandi poſſident, quæ facultas tantum in corpore vivo reperitur, & dicitur motus vitalis, ſive tonicus.

Th. IX.

Omnes noſtri corporis actiones ſe exercere ſolent per partes ſolidas; quando igitur hæ actiones non legitimo modo peragi poſſunt, procul dubio hæ partes ſolidæ ſunt vitiatæ. Quemadmodum ſanitas immediate a conſtitutione naturali corporis humani, ita morbus ab ea præternaturali dependet. Mala hæc, vel præternaturalis, conſtitutio fit, quando fibræ vel nimis, quam par eſt, ſeſe conſtringunt, vel nimis relaxantur. Nimia contractio illarum audit *ſpaſmus*; relaxatio vero nimia vocatur *atonia*.

Th. X.

Ambæ autem hæ conſtitutiones non per ſe exiſtunt,

 ſive

ſive fiunt, ſed ab alio quodam gignuntur, quod dicitur cauſa mediata proximior, eſtque vel interna, vel externa; hæ inter ſex non naturales conſpiciuntur, ut aer frigidus, humidus, calidus, animi pathemata; illæ vero noſtro in corpore jam hærent, atque nomine fluidorum, & ſpeciatim ſanguinis, veniunt, quatenus non rite ſe habent, vel peccant. Peccant vero vel quantitate & dicitur plethora, qualitate, & nominatur cacochymia, vel quantitate & qualitate ſimul, & ita oritur plethora ſpuria, ſive cacochymica.

Th. XI.

Hæc noſtri corporis fluida, in ſpecie ſanguis, ſi per artem chemicam examinantur, componuntur ex particulis variis, aqua nimirum, ſale, tam acido, quam alcalico, ſulphure & terra. Hæ partes in ſtatu naturali debent eſſe proportionatæ, ita quidem, ut ſulphuris pars ſit maxima, ſi excipiamus partem aquoſam; mediam vero partem conſtituat terra; minimam ſal. Hæc eſt ſententia celeberrimi HOMBERGII, Medici Pariſini, in *Memoire de l' Academie des ſciences, 1712. pag. 9-18.* Si accuratius examinare velimus ſanguinem experiemur, ſalis acidi in eâ partem ſe habere, ut 1; ſalis alcali, ut 11; terræ, ut $22\frac{1}{2}$. circiter; ſulphuris, ut 25. vel 30; ſeri circiter, ut 1000. Hanc proportionem quanquam in omnibus corporibus reperiri adeo exactam dici non poteſt, minimum tamen talem, qualem jam laudavimus, neceſſario ſanitas poſcit. Nam quia maſſa ſanguinea debet eſſe ſatis fluida, quo vaſa minima permeare valeat, pars maxima, maſſam ſanguineam componens, requirebatur aquea. Non dicam, quod nimiam ſalium in ſe invicem actionem ſic impediat. Pars vero ſulphurea terreſtrem & ſalinam proportione ſuperet,

peret, necesse erat, dum debet has partes obducere, ne inprimis salia nimium, in se invicem, atque parietes vasorum agant, & major fiat cohæsio, quoniam particulæ sulphureæ, tanquam specifice leviores, illam impediunt. Terrestres denique, atque salinæ partes, in se invicem agentes, particulas interpositas sulphureas conterunt atque liberant, liberatæ vero particulæ sulphureæ, vel igneæ, se insinuant poris ac interstitiis reliquarum partium, ita, ut aer in illis contentus elasticus expandatur, & majorem solvat cohæsionem, & sic elasticitatem sanguinis augeat.

Th. XII.

Hac proportione massæ sanguineæ, legitimo modo comparata, motus vitalis, sive tonicus, systolem & diastolem involvens, bene ac rite perficitur, & conservatur. Contra vero proportione corrupta, motus tonicus quoque noxam capit. Variis autem modis hæc proportio vitiata evadit, & quidem si abundent salia, tunc fiunt acria, maxima cum vehementia, ob sulphuris & seri defectum, in se in vicem, atque vasorum parietes, agentia. Ob decrescentem & imminutam quoque partis serosæ proportionem viscedo aliqua oritur. Salium vero in parietes vasorum actio irritat fibras, omnis fibra irritata ad contractionem tendit, hinc fit contractio præternaturalis, quæ dicitus *spasmus*. Si vero salia in se invicem agant, ebullitio sanguinis excitatur, sanguis per ebullitionem in vasa minima pulsus, expandit fibras, ibique obstructionem efficit, ex pansa autem fibra in una extremitate, in altera se constringit, hinc itidem fit *spasmus*.

Th. XIII.

Spasmus itaque nihil aliud est, quam constrictio vasorum præternaturalis, dependens vel a salibus liberatis, in abundantia præsentibus, ac in se invicem, & in pariétes vasorum, agentibus, vel etiam a causa externa, frigore scilicet, terrore, ira, &c.

Th. XIV.

Hic spasmus sæpe gignit *atoniam*. Cum enim fibræ nimis constringantur, vim suam elasticam tandem amittunt, & tunc fit relaxatio, quæ præprimis etiam inducitur, si pars serosa nimia adsit copia, vel sulphur quantitate excedente, ita, ut salia obvolvantur, sicque viscedo existat. Præsente autem viscedine circulus sanguinis per vasa minima tardatur & impeditur, ac vasa ipsa tandem obstruuntur, immo, ob perpetuum affluxum nimium, expanduntur, quam expansionem sæpe numero excipit spastica constrictio, si vero nimis, quam par est, expandantur fibræ, tono prorsus suo privantur, & fit atonia, quæ interdum quoque a causa externa, aere humido nimirum, & ira, inducitur, exemplum suppeditante anasarca, ab ira nata. Est igitur *atonia* relaxatio fibrarum, & hinc vasorum, præternaturalis, a causis, jam allatis, orta.

Th. XV.

Rebus sic stantibus, *omnes morbi causam immediatam, sive formalem, agnoscunt vel spasmum, vel atoniam.* Ergo omnes morbi interni sub duobus generibus comprehenduntur, quorum species analogiam quandam habent.

Th. XVI.

Spasmus impotentias multas procreat, quæ primo intuitu

intuitu sunt contrariæ. Antequam vero illas allegemus, breviter signa, & symptomata generalia spasmi enarrabimus. Spasmum comitatur anxietas præcordiorum, extremorum pororum constipatio, alvi obstructio, vasorum intumescentia, dolores dorsi, capitisque, & pro re nata aliarum partium, difficilis respiratio, pulsus durities, atque frequentia, deliria, horripilatio, pandiculatio, jactatio, refrigeratio extremorum, lassitudo artuum, oppressio pectoris, rigor partium, suppressio sudoris, urina cruda, & quæ sunt reliqua. Quæ omnia, pro diversitate partium affectarum, tamen differunt, cum expresse dici non potest, quod omnia allegata symptomata in unoquoque morbo simul sentiantur, quia in uno morbo hoc, in altero aliud, ex symptomatibus, jam recensitis, occurrit.

Th. XVII.

Morbi, a spasmo nati, commode in tres classes, seu species, distribuuntur, quæ tamen tantummodo gradu, & loco differunt. Prima species dicitur spasmus, stricte sic dictus; secunda constrictio spasmodica, vel motus spasmodicus; & tertia motus convulsivus, & epilepticus. Spasmus, stricte sic dictus, est contractio minimorum vasorum, & fibrarum, præternaturalis, ab exterioribus partibus ad interiora, & vice versa, cum impulsu adauctæ systolis, atque diastolis, ad exteriora, motus. Hic spasmus si totum corpus percurrit, causa formalis est omnium febrium, tam intermittentium, quam acutarum, & continuarum, inflammationum omnium, phrenitidis, paraphrenitidis, ophthalmiæ, anginæ, pleuritidis, peripnevmoniæ, hepatitidis, colicæ, nephritidis, cardialgiæ, obstructionis mesenterii, lienis, hepatis, uno verbo cunctarum

infimi ventris inflammationum, nec non partium extremarum, quales ſunt arthritis, ejusque ſpecies, eryſipelas, rhevmatiſmus. Nec minus morbi quidam capitis, hunc ſpaſmum accuſant, ut inſultus epileptici, maniaci, ſoporoſi, apoplectici. Denique coryza, tuſſis humida, & ſicca, immo ipſa ſalivatio, per mercurium excitata, a ſpaſmo natales trahunt.

Th. XVIII.

Per ſpaſmum omnes febres, & morbi recidivantes ſuum indicant regreſſum. Catarrhus quoque ſuffocativus non raro ſequitur ex ſpaſmo. Si nimirum exanthemata, ut variolæ, morbilli, purpura rubra, & alba, petechiæ, ſcabies, aliæque cutis conſpurcationes, rerum non naturalium abuſu, vel topicis improvide adhibitis, retrocedant, nec minus accedente febri, œdemata pedum evaneſcant & retrogrediantur. Hæmorrhagiæ criticæ, & ſymptomaticæ, ut narium, menſtruus fluxus, hæmorrhoidalis, vomitus cruentus, hæmoptyſis ortum a ſpaſmo ducunt. Vehementia tormina infimi ventris, cardialgia, cardiaca paſſio, melancholia, vertigo, artuum laſſitudo, cordis palpitatio, cephalalgia, tinnitus aurium, immo ſyncope, anxietas & præcordiorum anguſtia, dolor dorſi, difficultas reſpirandi, totius corporis languor, viriumque decrementum a ſubitaneo rerum nonnaturalium, vel medicamentorum, ſiniſtro uſu, per ſpaſmum, hæmorrhagiarum ſuppreſſione, producuntur.

Th. XIX.

Natales a ſpaſmo particulari, ſive a motu ſpaſmodico, ſic dicto, trahunt morbi ſequentes, qui a diverſo loco denominationem accipiunt diverſam, videlicet deliria,

& quidem melancholicum, si sanguis per sinus venosos duræ matris, spastice contractæ, non libere ac rite transire ac circulare possit; furibundum vero, quando durante hac strictura duræ meningis, sanguis a causis interioribus, vel etiam ob irritationem externam, cum impetu ad cerebrum propellatur. Apoplexia levior quoque est filia spasmi particularis, quando nimirum progredi sanguis, ob rigiditatem duræ matris, nequit, sed illic stagnat, & vasa distendit, per quæ vasa extensa nervi comprimuntur, unde fit apoplexia spasmodica. Porro cephalalgia, clavus, hemicrania, otalgia & odontalgia nascuntur a spasmo. Visus debilitatus, vel duplicatus, interdum oritur a strictura nervi optici, quem spasmum sæpe inducunt vermes. Tunicarum labyrinthi internarum spasmus parit aurium susurrum, tympano extra morum stricto, tinnitum. Crispatura tunicæ pituitariæ Schneideri, excretionem muci impedit, hinc odor perit. Nervi linguales, spasmodice affecti, relinquunt aphoniam. Medulla spinalis sæpe quoque constringitur, partim essentialiter, partim per consensum, editque vehementia symptomata, ut videmus in febribus, ac præcipue intermittentibus.

Th. XX.

Secretiones ipsæ a spastica contractione noxam capiunt incredibilem, quia lac in glandulis mammarum, ob hanc stricturam, non potest rite segregari, hinc tumores, abscessus, & ulcera. Secretio salivæ quoque a spasmo intercipitur, unde apparent tumores, inflammationes, tonsillarum, uvulæ, & parotidum, earumque exulcerationes, totarum faucium exarescentia, hinc sitis aucta. E

contra-

contrario viciſſim, ſi glandulæ per irritationem ſtimulantur reiteratam, ut fit in ſalivatione mercuriali, & hypochondriacis a ſale acido acri profluvium ſalivæ copioſum ſequitur. Sique ſpaſmus fiat in inteſtinis tenuibus, ob orificia conſtricta vaſculorum minimorum, chylus non abſorbetur, hinc ſanguini non advehitur, tuncque ſequitur atrophia. Ob ſtricturam quoque feces non rite eliminari poſſunt, cum flatibus, qui flatus tandem per poros laterales penetrant, & tympanitidem conſtituunt. Dejectiones quoque crebræ cum torminibus circa umbilicalem regionem ſpaſmodicos motus habent cauſam. Idem conatum ad vomitum, vel vomitum ipſum, efficit, ſpaſtica pylori ſtrictura; pyloro vero, & cardia, ſimul ſpaſmodice clauſis, ventriculi a flatibus fit turgeſcentia, cardia vero ſolum aperta oriuntur ructus. Aſthma, ſic dictum, convulſivum, ſive ſpaſmodicum, quoque cauſam agnoſcit motum ſpaſmodicum in portione diaphragmatis tendinoſa. Conſtrictionem vero diaphragmatis ſæpe excipit tumor œdematoſus, vel hydrops, cum ſanguis, per venam cavam ab hepate, totoque ex corpore, reductus, non libere per diaphragma ad cor tranſire poſſit, hincque retrocedat ad venam portæ, ejusque ramos, aliasque inferiores partes, ibique ſtagnet, & tandem pars lymphatica in poros abeat, hinc tumores. Difficultas reſpirationis, & pectoris oppreſſio a ſpaſmodico motu, ob acrimoniam, vel intus prognata, vel ab extra per aerem illata, excitatur. Non minus ſtrangulatio gulæ hyſtericarum, ac ſpaſmo ventriculi laborantium, quando dicunt, es ſey ihnen, als wenn ein Pflock in Halſe ſtecke, ortum a ſpaſmodica conſtrictione ducunt, Porro icterus a clauſo ori-

ficio

ficio ductus cholodochi, a cystici & hepatici obstipatione, vel vomitus, vel dejectiones alvi crebrae, immo morbus cholericus oritur. Iam quoque diximus, spasmum sæpe generare atoniam. Ureteres itaque adeo constringuntur, ut urinæ fluxus prorsus intercipiatur, salia, quoque, in illa hærentia, renes afficiunt, nec non ad massam sanguineam redeunt, gravem anhelitum, & convulsivas passiones, nec non, si diutius hoc malum duret, ob distensionem vehementem, atoniam fibrarum relinquunt, hinc hydrops, sique fibræ a salibus erodantur, hydrops extravasata, occlusis vero ureteribus circa ingressum in vesicam, ureteres extenduntur eum in modum, ut dolores sequantur crudeles, & motum tonicum tandem prorsus amittant, durante tamen sphincteris vesicæ urethræque spastica clausura, hinc stranguria existit, cum fibra, una extremitate relaxata, altera se constringat. Spasmodica denique strictura impedit transpirationem insensibilem, hinc, per salia retenta acriora, suscitantur febres catarrhales, coryza, & tussis. Bile, a salibus retentis acriori reddita, diarrhoea, difficilis cum ardore mictus, contumax alvi adstrictio & obstructio. Hinc, ob retentos flatus simul cum scybalis, multi morbi veniunt, nimirum flatulentia, tormina, passio colica, iliaca, sique hic spasmus prorsus pervertat motum intestinorum peristalticum, fit miserere mei, quod etiam fit ab hernia incarcerata.

Th. XXI.

Denique tertia spasmi species, quæ non solum in systole fortiori, sed etiam in reciproca, & vehementiori diastole consistit, varios generat morbos. Hic motus si fiat successive, dicitur convulsivus. Si vero durus, for-

tis, & subitaneus, & focum habet in duramatre inprimis, tunc dicitur epilepsia universalis. Quando vero membranæ, & nervi medullæ spinalis in uno latere tantum stringuntur, tunc audit motus convulsivus particularis, qui se exerit modo in spina, modo manibus, modo pedibus, &c. Hujus convulsionis species quoque est palpitatio cordis, succussio diaphragmatis, quæ dicitur singultus, tussis ferina, sternutatio, immo cachinnus, vomitus, cholera, & diarrhœa a distensione ductuum biliariorum, & constrictione intestinorum; ructuum frequens sonus, abortus, nec non denique partus.

Th. XXII.

Nunc aggrediamur contemplando alterum morborum genus, quod ab atonia, sive relaxatione fibrarum, tam musculosorum, quam nervosorum, dependet. Hæc remissio si levis, dicitur atonia. Gravior vero paralysis appellatur. Atonia vero periculosior est spasmo. Nam vita consistit in perpetua circulatione sanguinis spirituum, reliquorumque humorum. Causa hujus circulationis est vitalitas, quæ se exerit per motum tonicum, recte se habentem. Hinc mors consistit in plenaria resolutione & extinctione hujus motus tonici. Si vero hic motus tantum ad tempus cesset, post temporis spatium tamen retrogreditur, tunc dicitur syncopen adesse. Animi deliquium causam formalem indicat atoniam, quod pulsatio cordis, & arteriarum, imbecillis testantur. Atonia duræ matris, ab inopia spirituum animalium veniens, generat abolitionem memoriæ, ingenii, & sensuum, torporem, stuporem, somnolentiam, soporem. Tinnitus aurium quoque causam nominat nimiam humiditatem

mem-

membranarum, ossa cingentium, nec non relaxationem tympani. Quando vero nervi acustici solvuntur, quod fit vel a nimia humiditate, vel ab occallescentia, surditas exoritur. Nervus opticus, spiritibus animalibus destitutus, secum ducit atoniam, quæ statim gignit guttam serenam, sive amavrosin. Vertigo procreatur ab arteriis carotidibus, sanguine distensis, hos nervos opticos prementibus. Aphonia quoque non solum a linguæ nervorum strictura, sed etiam ab illorum relaxatione ortum ducit. Sensus denique odoris cessat, si tunica pituitaria, nimio sero impleta, tonum amittat, adeo, ut fiat coryza. Ab humiditate, tunicæ œsophagi, & musculis laryngis ingesta, laxitas nimia profert difficilem deglutitionem. Catarrhum suffocativum inducit nervorum pnevmonicorum paralysis.

Th. XXIII.

Viscera medii & infimi ventris, quoque sunt obnoxia fibrarum relaxationi, unde, ob affluxum nimium serosum, in pulmonibus oritur tussis humida, asthma pituitosum, sique decubitus hujus seri magnam salium copiam acrium contineat, facile exulcerationes procreat, nec non abscessus, vomicas, ipsamque phthisin. Nullum totius corporis viscus tam pronum est, ob multitudinem vasorum, & fibrarum relaxationem, hinc inde ad stagnationes, & tumores, quam hepar, & lien. Sanguis enim, per venam portæ ad hepar tono destitutum allatus, revertitur ad ventriculum, lienem, pancreas, intestina, ubi, ob stagnationem, generat dolores, flatus, spasmos, obstructiones, abscessus, hæmorrhagias, aliasque passiones, itaque hepar morborum incredibilium fons dici mere-

 tur,

tur, cum ex præcedentibus ſequantur icterus niger, & flavus, ſcorbutus, & cachexia, tanquam mater hydropis. Ipſis arteriis, reliquisque vaſis, languentibus atq; relaxatis, maſſa ſanguinea ſpiſſeſcit, ſtagnat, minima vaſa obſtruit, & ſic inducit plethoram ad vires, ut dici ſolet. Ventriculi inflationis, & anorexiæ, cauſa accuſatur tunicarum nervearum ventriculi laxitas. Canalis inteſtinorum, ac præcipue duodenum laxatum, multos infert morbos. Si nempe, per humiditatem nimiam, debilitatus eſt motus periſtalticus, flatulentia, borborygmi, murmura ac ſonitus in ventre oriuntur. Incontinentia urinæ fit a relaxatione veſicæ, & præprimis ſphincteris illius. Si vero extrema cutis nimium relaxatur, magnam debilitatem, ſudoresque frigidos, aut colliquativos, poſt ſe trahit. Quam quæſo agnoſcit cauſam diabetes? renes, tono ſuo privatos. Quam calculus renalis, atque veſicæ? renes relaxatos, & veſicam, vi motrice carentem. Liquor porro ſeminalis, in veſiculis ſeminalibus copioſe collectus, illis vaſis tono deſtitutis, ibi commoratur, & tumores gignit. Mulier denique omnia bis patitur pathemata, ob viſcus, ad generationem, & geſtationem, uterum puto, neceſſarium. Si enim ſanguis per uterum tono orbatum, trajici non poſſit, ad arterias hypogaſtricas, & reliqua abdominis viſcera, retrogreditur, unde paſſiones ſpaſmodico-hyſtericæ veniunt. Quando vero ipſa ſubſtantia uteri vaſculoſa humoribus repleta eſt fluxus menſium, aut ſeri mucilaginoſi, nimius, abortus, & ſterilitas, tumores magni, carcinomata, hydrops uteri. In ipſo vero cavo concretiones carneas, quæ molæ nominantur, provocant.

Th. XXIV.

Th. XXIV.

Ultimo quærendum judico, a quanam caufa hemiplexia, paralyfis, & parefis oriantur? refpondemus a membranis medullæ fpinalis, penitus relaxatis. Sique in uno latere tantum, dicitur hemiplexia. Si vero membranæ nervofæ, extra fpinam excurrentes, flaccidæ fiant, tunc dicitur parefis, ubi motus, relicta quidem aliqua fenfatione artuum affectorum, perit. Hæcque funt, quæ breviter de analogia morborum differere voluimus. Ampliorem notitiam præbet Ill. FRIDERICVS HOFFMANNVS, Tom. III. fui Syftematis. Hinc nos accingimus confiderationi curationis generalis medicaminum polychreftorum applicationi.

Th. XXV.

In omni curatione morborum refpiciendum eft, fecundum medendi methodum, ad indicantia, & indicata. Indicantia funt vel immediata, vel mediata; vel externa, vel interna. Indicata, quæ iterum vel externa, vel interna, funt medicamenta, indicans tollentia, funtque vel alterantia, vel evacuantia. Evacuantia dicuntur, quorum ope materia peccans ejicitur, quibus vero qualitas, feu proportio humorum vitiata mutatur, illa dicuntur alterantia, quæ comprehendunt varias fpecies, ut incidentia, abforbentia, temperantia, demulcentia. Illa, nimirum evacuantia, funt emetica, purgantia, diaphoretica, diuretica, apophlegmatizantia, &c. Quo vero ordinem fervemus, primo cogitemus de indicanti principali, five immediato, quod eft caufa morbi immediata, five formalis, quæ eft tollenda, quod autem absque remotione indicantis mediati, id eft, caufæ mediatæ proximioris, vix im-

petratur. Hæc correctio & expulsio causarum morbificarum, ceu indicantium, instituitur per evacuantia, si antea ad evacuationem causæ præparatæ fuerint. Causa vero ablata, effectus tollitur, causa itaque remota morbifica morbus cessat. Indicata sunt, ut jam diximus, medicamenta, indicans corrigentia, & tollentia. Et quemadmodum humores, si vitiati sint, constituunt indicans: Ita debent proportionati esse, tam inter se, quam quoad partes solidas, & vasa recipientia, cum omnis actio æqualem requirat reactionem. Si itaque humores vel quoad partes constituentes peccent, vitiatur actio, hinc corrumpitur motus tonicus, idcirco talia medicamenta sunt addenda, quæ restituunt æqualem reactionem. Si v. gr. abundant salia, propinanda sunt sulphurea, & aquea. Si sulphur, & terra, cum sale acido, constituunt viscidum, porrigenda sunt aquea, & salia alcalica. Et tandem, per evacuantia, humores præparati ejiciantur. Ordo & modus, quem adduximus in genere, quoque in specie in unoquoque genere morborum est observandus. Et quemadmodum, sicuti jam monuimus supra, morbos internos in duo genera, videlicet a spasmo, & atonia ortos, commode dispesci possunt: Ita etiam duplici modo curatio suscipienda per polychresta.

Th. XXVI.

Curationem affectuum spasmodicorum sequenti modo instituendam judico. Indicans est causa immediata, & formalis, quæ dicitur in genere spasmus, estque universalis totius generis morbosi spastici, species multas sub se comprehendentis. Cum igitur tanta copia morborum unam, eandemque causam immediatam, &

for-

formalem, agnoſcat, ceu indicans, ſic quoque ab una eademque cauſa oppoſita, ſeu indicato univerſali, tolli debent, quod indicatum nominamus, illud medicamentum polychreſtum, quod eſt vel externum, ut cataplaſma, embrocatio, ſacculus paregoricus, fotus, &c. vel internum, de quo inferius. Quoniam vero dictum eſt, indicans principale non cedere, excepta cauſa mediata proximiori, tanquam indicanti mediata, ablata. Cauſam mediatam proximiorem ſpaſmi præbent externe v. gr. frigus, ubi opponendus eſt calor; interne ſalia acria, ut ſunt venena, aſſumta, quæ ſi in primis viis adhuc hærent, ſtatim ſunt per emeſin eliminanda, ſi vero jam intrarunt maſſam ſanguineam, aut ibi generantur, aut accumulantur ſalia acria, quando nempe fluidum non ſufficiente quantitate adeſt, ita, ut ſalia, ob deficiens humidum, in ſe invicem cum impetu agant, ſulphur interpoſitum conterant, obque fluidi inopiam, viſciditatem acquirant aliquam, quæ lateribus vaſorum, in ſpecie minorum, adhæret, & irritationem, partim per expanſionem, & obſtructionem, partim per ſalia corrodentia, efficit, hoc in caſu propinanda ſunt viſcidum incidentia, ſerum reſtituentia, ſalia acida acria temperantia, & imbibentia, abſorbentia, demulcentia, ſalia obvolventia, tandemque hoc modo præparata indicantia ſunt evacuanda.

Th. XXVII.

Præparantia quoque alias appellantur alterantia. Alterantur autem humores, ſalibus repleti, per aquoſa, demulcentia ſulphurea, obducentia ſalia, & incidentia, per ſalia alcalica, terrea, acidum abſorbentia, ut ſunt teſtacea, & ſimilia, v. gr. in forma pulveris ex abſorbentibus, præ-

cipitan-

cipitantibus, ut pulvis bezoardicus major, & minor Illuſtris B. Wedelii, cachecticus Quercetani, Magneſia alba, & rubra Ill. Præſidis, ejusdem pulvis bezoardicus, contra acredinem Hallenſium, antiſpaſmodicus, ſpecificum cephalicum Michaelis, antepilepticus Marchionum, temperans, & bezoardicus Hallenſium, polychreſtus bez. Hoffmanni, ſtomachicus Birckmanni, conchæ præparatæ, arcanum duplicatum, ſalia plantarum, corallia rubra præparata, cryſtallus montana, cinnabaris nativa & antimonii. In forma fluidi propinari poſſunt Tincturæ, & mixturæ ex Tinctura coralliorum, martis helleborata Wedelii, liquore cornu cervi ſuccinato, ſpiritu nitri dulci, Tinctura bezoardica Wedelii, mixtura ſimplici, eſſentia alexipharmaca, carminativa, anodyna, theriacali, ſuccini, lignorum dulci Ill. Præſ. Tinctura antimonii, papaveris rhoeados, bellidis, tartari, caſſæcarillæ, pimpinellæ albæ, antimonii tartariſatæ, myrrhæ, caſtorei, ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato, &c. His remediis aſſocianda ſunt decocta, & infuſa diluentia, ut ſunt potus thee, Coffe, vel ex radice valerianæ, ſcorzoneræ, ſaſſaparillæ, glyzyrrhizæ, ireos Florentinæ, fœniculi, angelicæ, enulæ, trifolii fibrini, gentianæ; herba cardui benedicti, ſcordii, ſalviæ, millefolii, tanaceti, cochleariæ, fumariæ, roris marini, meliſſæ, bellidis; floribus anthos, acetoſellæ, roſarum rubrarum, acaciæ, ſambuci, papaveris, rhoeados, ſtœchadis Arabicæ, aurantiorum, baccis paridis, ligno ſaſſafras, ſantalo, cortice Winterano, aurantiorum, ſemine fœniculi, ſiliqua dulci, coſto vero, cinnamomo, cubebis, aniſo ſtellato, paſſulis minoribus, quæ redigantur vel in formam theæ, vel etiam infundantur cum vino, &

expri-

exprimantur ac filtrentur, unaque cum medicamentis, antea laudatis, continuentur. Item decoctum avenaceum, vel hordeaceum, vel decoctum cornu cervi citratum, cum scorzonera. Gelatina cornu cervi. Emulsiones seminum 4. frigidorum, amygdalorum, de qua emulsione de die una altera mensura successive sumatur. Tandem acidulæ, ut Egranæ, Selderanæ, Sedlicenses, &c. maximum præstant toti massæ sanguineæ officium.

Th. XXVIII.

Humoribus itaque præparatis, quoque studendum est illorum eliminationi. Ejiciuntur autem per evacuantia, qualia sunt emetica, purgantia, diaphoretica, diuretica, &c. Vomitoria, sive emetica, propinantur, si spasmus excitatur a salibus acrioribus in primis viis, ac præcipe in ventriculo adhuc residentibus, ut sunt venena assumta, aut si materia, febrim constituens, maximam partem latet in ventriculo. Hæc autem dividuntur in lenia & valida: Lenia sunt aqua, & cerevisia tepida pinguefacta, oleum amygdalorum dulcium, cremor lactis, & lac ipsum; fortiora sunt tartarus emeticus, radix ipecacuanha, panacea Glauberi, quæ cæteris palmam præripiunt. Secundum locum evacuantium occupant laxantia, sive eccoprotica, inter quæ eminet manna, rhabarbarum, folia sennæ, sal Ebshamense, Egranum, Sedlicense. Videatur de horum salium usu, & differentia, *Commercium litterarium Norimbergense*, p. 101. usque ad 103. uberius vero dissertatio, ibi allegata, inauguralis de Fontis Spadani & Schvvalbacensis convenientia, sub præsidio

Dn. D. FRIDERICI HOFFMANNI Halæ habita. Magnesia alba adunciam dimidiam assumta, massa pilularum polychrestarum Becheri, syrupus de cichorio, cum rhabarbaro. Hæc lenientia excipiunt purgantia, stricte sic dicta, quæ necessitate urgente validiorem præstant evacuationem. Talia sunt radix hellebori nigri, mechoacannæ albæ, gialappæ, linum catharcticum Anglicanum, poma colocynthidis, extractum panchymogogum Crollii, resina gialappæ, mercurius dulcis, aurum fulminans, massa pilularum Illustris Præsidis, tartareæ Schrœderi, Sylvii. Item fiat massa pilularum ex extracto asari, hellebori nigri, trochiscorum alhandal, gummi guttæ, resina gialappæ, scammonio sulphurato, &c. M. l. a. & præparetur massa pilularum, cum Elixirio P. P. Pulvis purgans præparatur ex radice gialappæ, mechoacannæ albæ, cremore tartari, resina gialappæ, diagrydio, tantillo trochiscorum alhandal, olei anisi, fœniculi, menthæ, &c. Evacuatio per interiora quoque impetratur per clysmata, & quidem in morbis a spasmo per sedativa ex emollientibus & demulcentibus, ut lacte animantium, rasura cornu cervi, decocto avenaceo, oleo lini, radice altheæ, floribus chamomillæ, semine lini, melito. Sique sal, commune, vel digestivum, addatur, simul evacuant. Hoffmannus celeberrimus suadet clysteres sedandi fine applicare ex lacte, vel sero lactis, croco, & nitro depurato. Porro humores, per diaphoresin præparati, exhalant ope diaphoreticorum, e quorum numero veniunt sal cardui benedicti, rob, & essentia sambuci, antimonium diaphoreticum, cinnabaris nativa,

tiva, & factitia, antimonii, pulvis bezoardicus major, & minor B. Wedelii, Sennerti, pulvis polychrestus bezoardicus Hoffmanni, liquor anodynus mineralis Illustris Præsid. pag. 269. *Institutionum chemiæ dogmaticæ & experimentalis* descriptus, pilulæ Wildegansii, pulvis Pannonicus ruber. Diuretica item inter polychresta sunt referenda. Criteria horum, & quidem ex regno vegetabili, indicat Celsus, cum, apparatu aliquo, Lib. II. cap. 31. pag. 119. Nos eligimus radicem pimpinellæ, apii, asari, asparagi, raphani, oculos cancrorum, nitrosa varia, sal succini, ac, brevibus ut moneamus, post evacuationem per vomitum, & alvum, rursus ad diaphoresin, & diuresin, &c. antea laudata præparantia usurpari possunt, & debent.

Th. XXIX.

Perlustrata curatione morborum, a spasmo natales trahentium, per polychresta, transgredimur ad illorum surrogationem, qui veniunt ab atonia. Ubi indicantia sunt fibræ, nimis relaxatæ, quæ indicant restaurationem motus tonici sui ipsius. Hic autem non restituitur, nisi causa mediata proximior, ut in spasmo, sit ablata. Hanc causam mediatam proximiorem esse humores viscidos, accumulatos, atque expansos, & aliquo modo acres ex superioribus patet, hinc indicatio prima est alteratio, sive præparatio, secunda evacuatio. Indicata ergo sunt illa remedia, per quæ præparantur, & evacuantur. Præparatio, & alteratio, fit per incidentia, attenuantia, resolventia, discutientia, & tandem roborantia, quæ

applicari poſſunt in forma infuſi, decocti, vel eſſentiæ, & conſtare poſſunt ex radice angelicæ, pareiræ bravæ, ninzig, ſalab, caſminaris, mungos, ſerpentariæ Virginianæ, & ſaſſafratæ, pimpinellæ, calami aromatici, caryophyllatæ, iridis Florentinæ, vincetoxici, mei, gentianæ, biſtortæ, tormentillæ, aſparagi, ſaſſaparillæ, herba origani, meliſſæ, adianthi, vincæ pervincæ, capillorum veneris, piperitidis, naſturtii Indici, teucrii, hederæ terreſtris, hyſſopi, ſcabioſæ, chærefolii, ſerpilli, marrubii albi, acmellæ Zeylanicæ, floribus cheiri, bellidis, roſarum, hyperici, ſemine aniſi turcici, fœniculi, ligno ſancto, ſantalino, citrino, aloes, neruli, cortice aurantiorum, citri, cinnamomi, culilaban, cubebis, nuce moſchata, cardamomo, caryophyllis, coſto Arabico, & reliq. In uſum porro vocantur pulveres mixti, pro re nata, ex pulvere ſtomachico, hepatico rubro Dresdenſi, ſolari Hallenſium, & Zellenſi, bezoardico Wedelii, pectorali ejusdem reſolventi, & balſamico, vel ex ſimplicium claſſe eligantur, & componantur, exempli gratia, radix ari, caryophyllatæ, cichorii, enulæ, gentianæ rubræ, zedoariæ, cortex caſſacarillæ, Chinæ, caſſiæ caryophyllatæ, & cinnamomeæ, myrrha, cinnabaris nativa, ſal polychreſtum, arcanum duplicatum, antimonium martiale cachecticum, arcanum tartari, nitrum antimoniatum, oleum aurantiorum, aniſi ſtellati, menthæ, cumini, carvi, de cedro, balſamum vitæ Ill. Præſidis, celeberrimi Hoffmanni, &c. In forma liquida aſſumatur, ad incidendos humores, & confortandas fibras, Eſſentia amara celeberrimi Præſidis, item Hallenſium

Tinctu-

Tinctura antimonii tartarisata, martialis aperitiva Ludovici, bezoardica Wedelii, antimonii rhabarbarina, acris, carbonum, Essentia carminativa, pimpinellæ, balsamica Slevogtii, travmatica Wedelii, ambræ, croci, mixtura simplex vera, elixirium antiscorbuticum, stomachale Ill. Præsidis, & Hoffmanni; in forma pilularum, pilulæ balsamicæ, sive polychrestæ Becheri.

Th. XXX.

Hic autem non est subsistendum, sed addamus necesse est alteram indicationem, quæ audit evacuatio. Indicata sunt emetica, purgantia, diaphoretica, diuretica, & reliqua. Hæc indicata obtinentur per incidentia, attenuantia, discutientia, confortantia. Speciatim autem vomitoria sunt radix ipecacuannæ, tartarus emeticus, cum cremore tartari sumtus. In hoc morborum genere maxime per purgantia fortiora evacuatio instituitur, e. gr. per pilulas Ill. Præsidis, vel per pulverem purgantem ex radice gialappæ, mechoacannæ albæ, scammonio sulphurato, trochiscis alhandal, helleboro nigro, lino cathartico Anglicano, gummi guttæ, scammonio, elaterio, resina gialappæ, gummi guajaci nativi, extracto fumariæ, mercurio dulci; in forma boli adhiberi potest mercurius dulcis, cum conserva rosarum. Ex liquidis præcipuam laudem meretur essentia purgans Illustr. Præsidis ex radice gialappæ, semine cinæ, scammonii optimi, gummi guttæ, quibus affundatur spiritus vini, q. s. digerantur, & filtrentur, addatur quoque Syrupus de ci-

chorio, cum rhabarbaro. Evacuatur quoque alvus e-nematibus ſtimulantibus, atque roborantibus, ut ex ſe-minibus 4. carminativis, baccis juniperi, herba rutæ, roris marini, ſalviæ, matricariæ, menthæ, flo-ribus lavendulæ, ſpicæ, cum ſale communi. Edu-cantur porro humores per diaphoreſin, diureſin, a-pophlegmatiſmum, ſalivationem ſpeciatim, hæmorr-hagias expectorationem. Quoniam vero hæ ſpecies omnes per incidentia, reſolventia, diſcutientia, &c. peraguntur, non opus eſt, de illis ſeorſim, ac denuo diſſerere, ſed modo continuentur antea ſub titulo præparantium medicamenta usque ad plenariam mor-borum ceſſationem.

Th. XXXI.

Tandem reſtant evacuationes artefactæ per venæ-ſectionem, ſetacea, hirudines, &c. Hæ ſpecies eva-cuationum omnes ſuum præſtant emolumentum, ſi modo Medicus illis prudenter uti didicit, & conſide-rat, utrum plethora adſit, aut decubitus ſeri, de qui-bus hic loqui, tempus, & ſpatium prohibet. Ideo hæc cu-juslibet Medici relinquemus prudentiæ, quas evacuatio-nes, quo tempore, quo loco, quaque occaſione, & quan-titate inſtituere, ſecundum regulas methodicas, poſſit, & debeat. Ultimo nullus putet, nos præſcripta medica-menta pro unicis habere polychreſtis, & velle, addu-cta remedia, tam ſimplicia, quam compoſita, omnia, ſi-mul ſumpta, absque diſcrimine eſſe componenda, & adhibenda, neutiquam, ſed quilibet Medicus, pruden-

tia dotatus, medicamenta pro lubitu, & circumſtantiis morbi, ſeligere, & componere poteſt, ſi modo obſervet inſitam vim hujus vel illius medicaminis, & in applicanda methodo medendi ducem ſibi eligat, cum ſicut in jure, ita etiam in medicina minima circumſtantia variet rem. Idcirco debet eſſe circumſpectus, ut perpendat omnia ſymptomata; diligens, ne ullam occaſionem negligat ſymptomatibus occurrendi; cautus, ne porrigat, quæ plus noxæ, quam utilitatis afferre poſſunt, ſed magis ſemper talia, quibus obtinetur ægroti, adſtantium, atque Medici ipſius intentus atque optatus finis. Deo ſit laus, honor, & gloria, pro conceſſis viribus.

IN quo conueniant interni semina morbi
HALECI docte, differis atque probas;
Atque simul methodum monstras, qua per polychresta
Pellere confestim quis mala dira queat.
Gratulor inde TIBI de hoc conamine docto,
Laudis TE meritae praemia digna manent.

His paucis, amoris ac benevolentiae testandae, eruditae dissertationis Autori, Clarissimo atque Experientissimo Domino Ddo Fautori, & Amico suo singulariter colendo applaudere voluit

Io. Sebast. Steube, Dr. oppon.

SO hast Du denn, geliebter Freund, durch rühmliches studiren
Es nun dahin gebracht, daß Dich der Doctor-Hut muß zieren:
Hygea wird zu fernern Zeiten
Dir Glück und Ehre zu bereiten.

Dieses wolte, seine Ergebenheit zu bezeugen hinzu fügen

Christ. Wilhelm Höchstetter, Opponens.

AN quis per POLYCHRESTA queat depellere morbos
Internos? docte, Doctor Amice, doces.
Gratulor. Omnipotens semper conatibus adsit
Et claris ausis! Sic POLYCHRESTVS eris.

scr.

Conr. Fried. Tieffenbach, Pomer.

DEin Fleiß, Geehrter Freund, muß unbelohnt nicht bleiben
Drum schenckt Apollo Dir zum Lohn den Doctor-Hut
Erlaube, daß ich mag glückwünschend etwas schreiben:
Der Himmel mache war: Galenus giebt viel Gut.
GOtt lasse Deine Kunst und Dein gelehrtes Wissen
Den Krancken in der Noth zu ihrem Heil geniessen.

Joh. Gottl. Fischer, aus Danzig
Oppon.

(o)